



Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

XLII. Amor nauigationem parat in Magdalena lacrymis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](#)

Munus vterque sibi: neutri, an vtrig; vous?
Quid suadus iubet auctor Amor, quid præses
honesti

Purpureus docto consulit ore pudor?
Diuite, ait, C H R I S T I caput implue & imbue
nardo,
Reddet amans votis balsama plura tuis.
Vberiore manu quidquid capit, auget I E S U S;
Et dare te credis munera? fenus emis.

X L I.

M A G D A L E N A oscula figit pedibus
C H R I S T I.

L A M B I S, & appresso figis vestigia vultu,
Molli relambens osculo;
Incumbisque super. quid monstri hic cerno
superbum
Plantis in imis stat caput.
An male-sanus Amor præpropter cuncta volat,
Sursum & deorsum ut misceat?
An magis ille globū pro Magdali versat in orbē,
Qui summa vertit infimis?

X L I I.

Amor nauigationem parat in M A G D A
L E N A E lacrymis.

Q V A lacrymosa salbos
Dat Magdalisa flores,
Et se salo doloris
Mergit, salumque fundit.

De

De lacrymis, & vndat
Torum pedesque I E S V;
Hic forte ludibundus
Amor natans volucri
Littus gradu pererrat.
Miratur ille fluctus,
Miratur ille ludos
Aestus reciprocantis,
Fugit, reditque fluxus.
Instat puer, fugitque;
Et ipse par marinæ
Vndæ, pari recursu
Aestus redit vicissim;
Et mox fugit puellum.
Tandem puer perenni
Victus labore, victus
Maris sequace fluctu,
Nec non fugace cursu,
Iter natans adornat.
An ergo iam secundâ
Aui, leuique vento
Remex Amor biremis,
Salsuginosa regna
Sulcat vagâ sub alno?
Heu dens biceps, gubernac
Contus, rudens, remulcus,
Pes, flexipesque remus,
Volaticumque linum,
Nudo deest Amori.
Fabrâ sed arte solers,
Et Dædalo paratu,
Ratem maris colonam,

H 7

Pe-

Pedem, leuesque remos,
Volatilemque nubem,
Velo parat fugaci;
Suaque de pharetrâ,
Non iam graui pharetrâ,
Sibi domum marinam
Natatilemque cymbam
Molitur architectus,
Faberrimus fabrorum.

X L I I I.

Armamenta suæ cymba adstruit.

SED vndenam supellex,
Et arma quæ vaganti
Amor parens carinæ
Securus adlaboret?
Pro carbaso bipennes
Dispescit ales alas;
Dein aptat in bisulco
Remos, & hinc & istinc
Pedes mari volantes;
Et surrigens sagittam,
De spiculo superbum
Malum struit per auras;
Tandem laborioso
Clauo viam fugacem
Dux dexter adgubernat.
Sed ecqua fluctuosæ
Merx innatat quadrigæ?
Molli recumbit ostro,
Et fluctuat cor ardens,

Cor